

esse, ut supremâ auctoritate suâ concederet servari consuetudinem in iis regionibus jam obtinentem baptizandi adultos eâ formâ quæ in Rituali Romano ad baptizandos pueros præscribitur, prætermittâ eâ quæ in eodem Rituali pro adultis baptizandis præscripta est: S. Congregatio, rerum ac locorum adjunctis maturè perpensis, censuit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro pro gratiâ ad viginti annos, attentâ consuetudine jam vigente, Missionariorum inopiâ, et temporis angustiis in quibus Missionarii versantur, ut ceteris sacri Ministerii officiis fungi possint.

Hanc autem Sacræ Congregationis sententiam, SSmo Dño Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII relatam per R. P. D. CASTRUCCIUM CASTRACANE, Sac. Cong. Secretarium, Sanctitas Sua, in audientiâ diei 26 Septembris 1830, benignè approbavit, et facultates necessarias atque opportunas ad memoratam formam in baptismo adutorum adhibendam, ad viginti annos impertita est.

Datum Romæ ex Æd. dic. S. Congreg. die 16 Octobris 1830.

D. MAURUS CARD. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. CASTRACANE, *Secr.*

BEATISSIME PATER,

ARCHIEPISCOPUS Baltimorensis, et Episcopi Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum, in Synodo Provinciali Baltimorensi mense Octobri anno 1829 celebratâ congregati, Sanctitati Vestræ exponunt valdè difficile esse in permagnâ locorum distantâ Sacerdotes ad baptismum conferendum

aquam Sabbatis Sancto et Pentecostes benedictam, ex fontibus ubi asservatur desumere, et secum circumferre: quare Sanctitatem Vestram precantur ut facultatem Missionariis Americæ Septentrionalis concedere dignetur benedicendi aquam baptismalem eâ breviori formulâ, quâ Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex PAULUS III uti concessit, quæque in Rituali Limæ anno 1797 impresso, refertur.

## DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA  
FIDE, DE CONFICIENDA AQUA BAPTISMALI.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ Fide, habitâ die 28 Junii anno 1830, referente Esmo ac Rmo D. PETRO S. R. E. Cardinali CAPRANO, actum fuerit de petitione superius expositâ, quæ RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis et Episcoporum Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum nomine facta est, eadem S. Congregatio censuit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro ut petitam facultatem concedere dignaretur.

Hanc autem Sacræ Congreg. sententiam SSmo Dño Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII relatam per R. P. D. CASTRUCCIUM CASTRACANE, S. Congreg. Secretarium, in audientiâ diei 26 Septembris anno 1830, Sanctitas Sua benignè provabit, et facultatem de quâ agitur impertita est.

Datum Romæ ex Æd. dic. Sac. Congreg. die 16 Octobris 1830.

D. M. CARD. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. CASTRACANE, *Secret.*

## DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA  
FIDE, QUO PROROGATUR TEMPUS AD SATISFACIENDUM  
PRÆCEPTO COMMUNIONIS PASCHALIS.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ  
Fide, habitâ die 28 Junii anno 1830, relatus fue-  
rit supplex libellus ab RR. PP. DD. Archiepiscopo  
Baltimorensi et Episcopis Fœderatarum Americæ  
Septentrionalis Provinciarum, in Synodo Provinciali  
mense Octobri anno 1829 celebratâ congregatis exa-  
ratus, quo SSmum Dñum Nostrum precabantur ut,  
habitâ ratione Sacerdotum inopiæ, locorum distantiæ,  
et consuetudinis jam vigentis, facultatem concederet,  
pro omnibus illis Diœcesibus, prorogandi tempus ad  
satisfaciendum præcepto Communionis Paschalis à  
primâ Dominicâ Quadragesimæ ad Dominicam SS.  
Trinitatis inclusivè; eadem S. Congregatio, referen-  
te Eñno ac Rñno D. Cardinali PETRO CAPRANO, cen-  
suit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro  
pro gratiâ.

Hanc autem S. Congreg. sententiam SSmo Dño  
Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII relata per R. P.  
D. CASTRUCCIUM CASTRACANE, Sacræ Congregatio-  
nis Secretarium, Sanctitas Sua, in audientiâ die 26  
Septembris 1830, benignè approvabit, et petitam fa-  
cultatem concessit.

Datum Romæ ex Æd. dic. Sac. Congreg. die 16  
Octobris 1830.

D. MAURUS CARD. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. CASTRACANE, *Sec.*

## CŌNCILIUM

## BALTIMORENSE

## PROVINCIALE II,

HABITUM

ANNO 1833.